



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1415. usque ad annum 1431

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118294

§. 195. Zischa altero etiam oculo orbatus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66272](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66272)

Sæcul. XV. A. C. 1421. dine Martinus urbem restaurare, incolas ad cultiores reducere mores, atque ædificia pene collapsa reparare cæpit, ut brevi pristina sua illi redierit Majestas, imo novo ac majori, quam antehac celebrata fuerit splendore.

§. CXCIV.

Zischa altero etiam oculo orbatus.

Cochl. Hist. Hussit. Hoc anno Zischa Rabium, ignobile quoddam Bohemorum oppidum, cingens, accepto vulnere oculorum lumen penitus amisit; cum enim hujus urbis ambitum emetiretur, exploraturus, qua parte illam cum minori suorum dispendio expugnaret, die decima quinta Martii alterum etiam oculum, quo solo adhuc utebatur, sagitta quædam temere emissa excussit, caputque tam alte penetravit, ut semianimis in terram corruens, in tentorium deportaretur, inde vero mortis periculo indies crescente, Pragam deferretur; cum tamen corpore admodum robustus, ac ferme aeneus esset, intra trimestre convaluit, & supremum, licet cæcus, rei militaris imperium denuo suscepit, Hussitarum precibus victus, qui potius signa deserere, quam alium Ducem sequi constituerant.

§. CXCVI.